

# **Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois, Nr. 14**

Notum sit omnibus Christi fidelibus, quod ecclesiam Sancti Medardi cum aliquantula terra que ad ipsum pertinet locum, dedit Sancto Martino, Ansaldus presbyter, frater Burcardi militis. A quo etiam ipsam ecclesiam illum emisse et successu denariorum XVIII tenuisse certum est. Dedit quoque idem Ansaldus Sancto Medardo in loco alio de beneficio Uulgrini clerici XXti et IIIIor terre arpennos, similiter successu denariorum XVIII. Condonavit autem eidem loco, Hugo miles molendum unum apud Megliacum, et apud locum qui dicitur Villasus, duos vinee arpennos. Apud villam vero quam Linarias vocant, terram unius carruce cum coliberto agricola, et filiis eius. Qui etiam ecclesiam ipsam pro anime sue atque uxoris filiorumque eius redemptione ab ipsis fundamentis edificavit. Nomina vero testium qui huic rei interfuerunt hec sunt: Wlgrinus clericus – Arnulfus filius Bernonis – Lanselinus frater eius – Burchardus „bucca bruna” – Lanscelinus bastardus.